

1570

iis sex Janizzerorum recensita feruntur ; duo millia ac quingenti ad bellandum expediti equites ; vectorii totidem ; fossores ad tria millia ; bellica tormenta triginta , quæ partim quinquaginta , partim librarum centum pondus excuterent ; duæ insuper ingentes machinæ , quæ *mortaria* vocantur ; falcones quinquaginta . Tot copiis in Cyprum delatis , quam ex duabus præcipuis regni urbibus potissimum oppugnandam fusciperent , Bassæ consulunt . Pialis erat sententia , ut Tamassus primum invaderetur , paucorum dierum spatio capi urbem posse affirmans : ea occupata , brevi Leucosiam quoque casuram , quæ patentibus assurgens campis , undique ingentibus circumfusa copiis , longe a mari sita , inutili turba presla , diu absque recentibus subfidiis defendi non posset . Mustaphas contra , ad Tamassum tempus minime terendum esse , censebat ; neque ingentes coactas tanto labore copias , quarum fama universam Europam repleverat , inani cunctatione distinendas esse : primum regni caput , Leucosiam , invadendum , in qua nobilitatis flos , incolarum ex tota insula infinitus prope numerus , divitiæ diurna pace congregatæ , haud ignobile victoriæ præmium ostentarent : ea capta , quid , victoria militum sublatis animis , impedimento futurum , quo minus statim Cypro universa potirentur ? An vero in eam insulæ partem , ubi Tamassus jacet , traducendum exercitum , quæ telluris humilitate , scaturientibus aquis insalubris , atque ob immensum solis ardorem , foedis , exitiosisque vaporibus obnoxia , momento gravissimis ægritudinibus copias omnes afficeret ? Mustaphæ rationibus & auctoritati illud quoque accesserat , quod a captivis , & exploratoribus nunciabatur , copiarum , atque ducum robur in Tamasso esse . Leucosia itaque oppugnatione decreta , cum universis copiis eo Turcæ contendunt . Eodem tempore peditum quatuor millia , equitum vero mille Tamasso appropinquare jussi , ut Baleonium eggressum forte parantem , atque infesta itinera reddere conantem reprimerent : septimo kal. augusti equitatus se in conspectum Leucosia dedit .

Eugenius  
Singliticus  
militum  
Leucosia  
prefidii  
praefectus.

Interea Eugenius Singliticus , Rochasii Comes , qui Baleonii loco belli pondus sustinebat , summo studio ad urbem tuendam necessaria curabat ; modo Italicos milites propositis præmiis allicere , modo Cyprios , otio ac deliciis molles , insueto belli terrore commotos , spe erigere , cunctosque ad patriam ab imma-

ni

Turcarum  
sententia  
de Tamasso  
aut Leuco-  
sia oppu-  
gnanda .

Mustaphas  
Leucosiam  
aggreedi de-  
cernit .